

REGINOLDVS EPISCOP. EYSTETENSIS.



Reginoldus in studijs bonarum artium & linguarum optimè institutus fuit. Erat enim lingua Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Germanicæ peritiissimus. præterea artis Musices suo tempore prestantissimus. Hanc eruditionem uitæ quoq; integritate exornabat. Itaq; post mortem Starhandi præfulis Eystetensis, qui ab Vngaris ad Augustam occisus erat, ipse omnium consensu undecimus eius loci antistes, anno 965, eligitur. Eo tempore Ottones ordine Imperium Romanum magna laude gubernabant. Illi hunc Episcopum ob egregias uirtutes plurimum amarunt, atq; in rebus grauissimis eum in consilium adhibuerunt. Cum hac ratione Ecclesiam suam ædificijs & uirtutibus exornasset, tandem post uicesimum quartum annum suæ administrationis obiit, atq; Meginessum S. Heinrici cognatum, successorem accepit. Anon.